

20250
ORATIO FUNEBRIS
PRO OBITU
CAROLI III,

Hispaniarum et Indiarum Regis
potentissimi:

*Habita ad Regiam et Imperialem Uni-
versitatem Granatensem 8. Id. Mar-
tii 1789.*

Si unquam, sapientissime Cancellari, Rector permagnifice, gravissima Doctorum Concio, perilluaris undique Coetus, si unquam aureum illud Demosthenis, Ciceronisve eloquentiæ flumen ingenti desiderio expeterem, hodie præcipuè, de CAROLI III Re-

VARIOS. 251

gis nostri et amplissimi Protectoris obitu, in vestri omnium conspectu verba facturus. Quæ duo sanè dum alta mentè revolve, opus peracerbum, et alex omnino plenum conspicio: sive enim orationis scopus, sive spectantium selecta turba imbecillitati meæ obversetur, cælum undique, et undique pontum experior. Obtusus quippe totus, et plumbeus sit oportet, qui per plurimos Isocrates et Quintilianos in lectissimo hocce eminere Senatu non animadvertat. Quid quod inclita isthæc, Cæsareaque Universitas, Athenarum æmula, Polyhistoribus fecunda, Philologisque semper grævda, proh! quantos enixa est Dionysios, qui sapientiæ ima viscera perscrutantur, nec Ambrosiis et Chrysostomis caret, qui eloquentiæ rivis plene exhaustis, magnifica, suavia, fortia, venustissima demum eructare norunt verba facillimè. Quid quod, nisi mea me fallit opinio, non deerunt

fortasse Zoili, qui rigido, quod ajunt, supercilio, et oculo petulco, despiciant quasi ex Tripode ceu adulterinum, fœtum quemlibet literarium, quem aquilarum instar, proprium non agnoverint, atque ob hoc dumtaxat crimen, acriter in eum Censoriam exercebunt Virgam. Nec mirum DD. amplissimi, *nam et Juvenes*, ut ajebat Martialis, *nasum rhinocerontis habent.*

Ad orationis scopum quod attinet, etsi Parentis, et Mœcenatis nostri amantissimi egregia facinora, morum candor, Regiæ virtutes, liberalitas, clementia, pietas, aque collata in nos beneficia, cordato cuilibet abundè et copiosè fandi materiem præbeant, infandum, alma Parens, infandum tamen jubes renovare dolorem. Communis siquidem Patris, et quidem desiderabilis, luctum, Domini naturalis, et sanè clementissimi obitum, protectoris demum nostri, et certè beneficentissimi funus, quis nisi

lachrymis tantùm et singultibus enarrare sufficiat? Quid ergo auditores ornatissimi? Eloquar, an sileam? pudor hoc, dolor impedit illud. Ab institutione dicendi supersedeam? Sattius foret. Ast urget præceptum, quod violare, nefas, et quasi piaculum immorari. Si ergo luctum mortuorum juxta ipsorum merita facere præcipimur, lugeamus necesse est CAROLI III. Hispaniarum Regis nostri potentissimi obitum, quo Patria patrem, Litteræ Patronum, et Ecclesia Protectorem amiserunt; totidem certè stimuli nostræ erga illum gratitudinis. Proh Deum immortalem! quot unico interitu jacturæ incomparabiles!

Adsis, enixe precor, Omnipotens Pater, ut quæ mei scis esse hac super re officii, dignè exequi valeam, atque in tui Nominis gloriam, et demortui Regis nostri suffragium, referre omnia sciam. Illud interea præmonere vos duxi, judicium me Ecclesiæ prævenire nolle, sed omnia

juxta Urbani VIII. Decretum, vel
le esse intelligenda. Percurramus sin-
gula.

Ergo quod olim P. C. per blandi-
tias et assentationem Romanis Impe-
ratoribus, etiam trucibus, et imma-
nibus, *Patriæ patris* nomen conse-
cratum à Republica vidimus, hoc
ipsùm CAROLO solertissimo Hispania-
rum REGI, optimo, quoad vixit, ju-
re, tribuendum esse, quis audebit
ire inficias? Enim vero ex quo super
Atlantis hujusce humeros Hesperia
nostræ vastissima moles quievit, om-
nibus suis nervis in ejus augmen et
defensionem contendere visus est. La-
bor in negotiis, fortitudo in pericu-
lis, industria in agendo, celeritas
in conficiendo, consilium in provi-
dendo, æquitas in distribuendo, mu-
nificentia in rerum administratione,
miseratio in pauperibus levandis, cle-
mentia erga reos, benignitas, justi-
tia, pietas, et si quæ alia sunt,
quæ Patrem benemeritum de Re-

publica faciant, et nonne hæc omnia
CAROLO Regi nostro familiarissima fue-
re? Age nunc Hispania, refer ani-
mum sis ad veritatem. *Charin labor
memneso.*

Igitur Commercium, quod longa
intercapedine oblitum, aut si mavis
obliteratum vidimus, CAROLI provi-
dentiâ et industriâ effervescere cœ-
pit. Quod ut facilius assequi posset,
et quot naves vectorias et onerarias,
quot longas, quot, acturias, quot
rostratas et æratas, quot cursorias,
quot prædatorias, quot speculatorias
fieri curavit? Experimentiâ quippe di-
dicerat, eo magis Commercium, imò
Imperium firmum fore et stabile, quò
majorem navigiorum classem pa-
raret.

Agricultura insuper substantia Rei-
publicæ totius et salus, quæ ferme
hucusque jacebat exanimis, CAROLO,
per experrectum et fidelem Admini-
strum, curante, penitus convaluit.
Et ut tantum ergo adoriretur opus est

ad umbilicum perduceret, quoties Agricolarum egestatem munificè levavit? quoties vectigalia ipsis, et tributa largiter indulxit? quoties immensas rei frumentariæ copias, aut liberaliter porrexit, aut benignè remisit? quoties terrarum ipsis Sortes, et quidem opimas, de suo etiam Regali fundo distribuit?

Præterea, probè sciens, quod *in multitudine populi dignitas Regis, et in paucitate plebis ignominia Principis*, ut Ditioni suæ populos auget, juxtàque ditaret, ex dissitis Europæ finibus, magnis sumptibus colonias transvexit, ut rudem, sed feracissimam ut plurimum terram, incolerent. Quod ut facilius exequi possent, armenta, domos, rei frumentariæ copiam, atque omnis generis utensilia ruralia, quibus terram exercere valerent, gratuito singulis, et absque solutione tribuisse constat. Dehinc breviter evenire oportebat, ut quæ eousque fragosa fue-

rant, impervia, et inaccessa loca Cæleri, excolta, deiiceps, ceu Paradisus apparerent Domini, ad imp. annidat. Paritinsuperdcurá, et diligentia, nec levioris sanè, et fructu, Hesperia gentes CAROLI Decreto in remotissimos Indiarum sinus transmeasse vidimus, ut vastissimas eas incolerent Regiones, in status et Ecclesiæ proventus: quod et sontes, aliquando clementia. Ergo, exemplo Catholicorum Regum permotus, misit, nec capite scilicet juxta Legum vigorem, plectere teneretur. In schola quippe Salomonis didicerat, quod *misericiordia et veritas custodiunt Regem, et roboratur clementia Thronus ejus.*

Nec silentio prætereundum existimo, tot Xenodochia, et Hospitalia cum peregrinis excipiendis, tum infirmis curandis munificè extructa et dotata, tot pios Montes, tot Misericordiæ et Charitatis Congregationes ubique Hispaniarum erecta, ad pauperum indigentiam levandam. Quid

Societates Patrias ad trutinam revocem per omne, qua latè patet Regnum stabilitas, quibus fila, semina cannabina, lanificia, bombycina, atque omnis generis fabricas, et ruralia augeri et confoveri mediâ CAROLI liberalitate videmus? Prætereo miserationem, qua heri, ac nudius tertius, cum febris scilicet fere pestilens, dirè per omnem Hispaniam grassaretur, medico, alimentis, medicaminibusque pauperibus succurri decrevit, imò omnibus infirmis etiam divitibus, pulverem donari statuit, quem vulgò *Quinam* vocant, quo tertiana, et interdum quotidiana febris sisti, et corrigi posset.

Verum etsi indefessus esset CAROLUS in pace Reipublicæ stabilienda, et concordia populi procuranda, sciens quod, candida pax homines, trux decet ira feras; Nec ignorans certè, quòd ornamento est Principi concordia Populi: nihi-

lo tamen minus quoties in defensionem patriæ invictum gladium eximere, et bellum gerere fuit coactus, toties nullum non movit lapidem, ut Regni et Ecclesiæ hostes ad terram prosterneret, profligaret, et ad nihilum redigeret, Varii quandoque fuere belli eventus et exitus. Non recuso, non abnuo. At quid istud, hercle, obesse unquam potuit, aut justitiæ, qua bellum fuit decretum, aut virtuti, qua gestum esse constat? Quodnam sane dedecus, oro vos, obstestorque sapientes, quam ignaviam Annibalis memoriæ peperit, quod à Scipione Africano, Pompei quod à Cæsare, M. Antonii quod ab Augusto victi fuerint? Aut quid infamiæ virtuti Caroli XII. Sueciæ Regis, quod bellico tormento de medio sit sublatus? Quid ergo si CAROLI III. invictissimi Regis nostri copiæ, aut classes, quandoque fuerint fuscæ, et profligatæ? Quid istud ad causam? Id totum, ædèpol, si fas est ita

loqui, ob scelera nostra evenisse pu-
to; quia *Faustitia*, ut ait Salomon,
elevat gentem, miseris autem facit
populos peccatum. Nec enim semel
D. O. M. cujus arcana impenetrabi-
lia sunt, ob unius vel aliquorum
crimen, robustum, et bellatorem
Israëlis Exercitum, victoriis et tro-
pheis onustum, cædè plecti decre-
vit: nam et vitia hominum, at-
que fraudes damnis, ignominis, vincu-
lis, verberibus, exiliis, morte mul-
tantur. Non igitur ignaviæ, aut
rei militaris inscitæ tribuendum,
quod aliquando nos Deus percussos
humiliaverit.

Præterea, quis hebes adeo et stu-
pidus, qui nesciat, navigia nostra
bellica CAROLI jussu, et sumptibus
constructa, cum ob multitudinem,
tum ob qualitatem hodieque totius
Europæ Principibus terrorem, et
quidem non panicum dumtaxat, in-
cutere? Aut quis adeo inscius, qui
ignoret, nec terrarum tantillum, quas

ab Augusto Fratre acceperat, perdi-
disse: quinimo cum in Europa, tum
in America præstantissimas Ditioni
sua addidisse possessiones? Quid Nea-
politani Regnum memorem, quod
in ipso juventutis, flore, invicto
Marte, et quasi unico ictu protri-
vit, atque è manibus Germanorum
eripuit? De reliquis Italiæ bellis,
quibus sæpissime IO cecinit, neque
gry dicendum esse duco, ne oratio-
ne longissima, nausæam vobis parem,
et fastidium. Sat fuerit, superque
dicere, Patris quoad vixit, et quidem
solertissimi, Patriæ exercuisse munia.

II. Nec minori studio et diligen-
tiâ scientias fovit, et artes. Ipsarum
ergo cultores, quibus subsidia, hon-
ores, et præmia largiter porrige-
bat, excipiebat semper benevole, af-
fabiliter, placidè, hilariter et comi-
ter. Non ea sanè tumida et spe va-
na ductus, qua Marius Rusticanus
Plotium, Decius Brutus Actium, at-
que Theophanem Magnus Pompejus ho-

nore et opibus auxerunt: ut quærent
 scilicet in suis scriptis decus nunquam
 intermoriturum. Reges quippe olim,
 ut Plinius auctor est, bonis artibus,
 (quidni et scientiis?) Immortalitatem
 quærebant: quare abundabant et præ-
 mia et opera vitæ. At CAROLUM NO-
 STRUM in artibus et scientiis promo-
 vendis, nil aliud præter robur et
 felicitatem Regni quærivisse constat.
 Tametsi enim ipsi in mentem venire
 potuit, Gymnasium fuisse Athenis
 Elæticum, ubi pari litterarum, et ar-
 ma curam et studio exercerentur; ni-
 hilo tamen minus ab Ecclesiaste di-
 dicebat, *meliorem esse Sapientiam for-
 titudine.* Quomodo ergo, agebat, sa-
 pientia pauperis contempta est? et
 verba ejus non sunt audita? Verba
 Sapientum audiuntur in silentio, plus
 quam clamor Principis inter stultos.
 Melior ergo est Sapientia quam arma
 bellica. *Adde quod ingenuas didicisse fideliter
 Artes.*

Emollit mores, nec sinit esse feros.
 Præterea studia cum Cicerone dicebat,
 adolescentiam agunt, senectutem oble-
 ctant, secundas res ornant, adversis
 perfugium, atque solatium præbent;
 delectant domi, non impediunt foris,
 pernoctant nobiscum, peregrinantur,
 rusticantur. Hæc cum apud se re-
 cte CAROLUS noster cogitaret, scien-
 tiarum cultores et artium cordis in-
 timi affectu, et teneritate peramabat,
 eosque salutem et scutum esse fir-
 missimum Republicæ et Ecclesiæ di-
 cebat.

Has ergo veritates nactus regia sua
 munera in litterarum et artium pro-
 fessores largiter profundeabat. Dehinc
 Collegiorum, Academiarum, Univer-
 sitatumque erectiones, et munificæ
 dotationes per totum Hispanorum
 Imperium; dehinc studiorum norma
 sequenda, ut Scholasticorum tricis
 et gerrhis procul abire jussis, veræ
 scientiæ, et ingenuæ artes revi-
 viscant, quibus novum splendorem

Sanctuatium, in omnibusque honorem et
virtutem Regnum acquirat. Ergo Theo-
logia, Jus Canonicum et Civile, His-
toria Sacra, et Profana, et Naturalis,
Antiqua, Oratoria, Philosophia, Me-
dicina, Chirurgia, et Geographia, Ma-
thesis, et Poësis, Geometria, Orienta-
les, Linguae, Pictura, Architectura,
Statuaria, Polygraphia, verborum dicam,
artes omnes et scientiae, pro quantum
tunc CAROLO protectore vigent. Enim
verbo.

*Mentis Appollinae has movet undique
Musas,*

*In medio residens amplectitur omnia
Phœbus,*

Mediis, inquam, Academicis, et stu-
diorum domibus, quas aut deus
erexit, aut copiose dotavit, rediere
jam Saturnia Regna, et ubique ter-
rarum Mœcenatis tanti nomen so-
nat.

Verum quid PP. in re adeo con-
spicua moror? Scitis vos ipsi, quia
et vidistis, quomodo noster CAROLUS,

Nehemia instar erexit nobis muros
eversos, et stare fecit portas, et
seras, qui erexit domos nostras. Ere-
xit inquam nobis Collegia, et Se-
minaria, quæ splendidissimos ubi-
que, et copiosissimos doctrinae radios
spargunt. Copiosam nobis insuper et
selectam contulit Bibliothecam, non
minore liberalitate, quàm Romanis
olim Assinius ille Pollio, ut ingenia
scilicet hominum, juxta Plinii sen-
tentiam, rem publicam faceret. Hor-
tum nobis contulit etiam, quo phar-
macopolæ possent medicinales herbas
conserere, et infirmorum prodesse va-
letudini. Prædia item contulit, qui-
bus grammatices, et rhetorices ma-
gistri congruè sustentari possint. Red-
ditus et contulit annuos in reliquo-
rum omnium subsidium; dotassetque
copiosè et munificè, si aut esset su-
perstes, aut Regni sumptus permi-
sissent. Quid plura? Vob ipsa studiorum
ratio, methodus et norma satis abundè

probant, CAROLI erga Nos beneficentia et liberalitatis officia. ; Eheus DD. amplissimi! ; Quantum sanè profuisse et Patriæ, et Sanctuario et nobis, si sapientissimam studiorum nostrorum regiam disciplinam observemus ad unguem! Dotationibus ut plurimum hucusque caremus. Cedo: ; Idcirco litterarum amore? ; Quia indotatæ Cathedræ, ; proinde tanti protectoris jussionibus obedire renuimus? ; Licebit fortasse nobis scientiarum professores esse conductiti tantum, seu de pane dumtaxat lucrando? ; An oscitatione quâdam in utramque aurem stertere expedire nobis putabimus? Absit. Ergo magna nostra interest hanc studiorum normam præstantissimam penitus observare, gratitudini et fidelitati erga CAROLUM nostrum consulentes, ut gloriari adhuc post mortem possit, decoris et splendoris nostri fundamenta jecisse; gloria enim Patris filii sunt sapientes.

III. bo Pergite porro PP. nec audite Vos pigeat CAROLI studium Terga Dei Ecclesiam, et suam nostramque salutem; Eheus bone Deus! Quarta solertia in vita sua suffulsit domum, et in diebus suis corroboravit Templum. Zelus Domini comederat illum, et opprobria exprobrantium Deo super ipsum ceciderant. Directus sane instar Josiæ videbatur in poenitentiam gentis suæ, et ad tollendas abominationes impietatis. In hanc igitur spem erectus, jactansque cogitatum suum in Domino, hanc præstantissimam nactus est veritatem, primam scilicet Regum curam gloriam esse Dei, per quem Principes imperant, et Potentes decernunt justitiam. Igitur ut tantum, Regiumque obesset munus, ad suffulciendam Hispaniarum Ecclesiam et re et exemplo prorsus se accinxit; ; Nostis, imo et vidistis CLL. DD. hujusce novi Constantini, et Magni Theodosii laborem indefessum pro Dei

Ecclesia amplificanda, et custodienda, pro Templis ubique terrarum extruendis, et magnifice ornandis; Insulae, Provinciae, Civitates, Vici, Oppida, Suburbana, Rus, Nemora, Sylva, Templis omnia scatent, quae CAROLI munificentia Regia, aut denuo erexit, et extruxit, aut solo aequata reparavit, et redditibus auxit. Nostis insuper quo zelo et immensis sumptibus Regularium missiones in America et Indiarum remotissimos sinus transvexerit, ut exleges et feroces ea gentes, quae in tenebris et in umbra mortis sedent, ad lumen possint veritatis venire, et Evangelii splendenti luce perfundi. Nostis etiam CAROLI studium ingens, et vehemens arcendi lupos ab ovibus Christi, ut sartam tectam legem custodirent, quam à Patribus, Avis, Proavis, Atavisque illibatam acceperat. At quid moror? Nonne totus incubuit in Religionis defensione, et amplificatione Sanctuarii, super quod frequentes Re-

gias opes largiter effundebat. Quid familiarius CAROLO quam Domini oraculum illud, Pavete ad Sanctuarium meum?

Si aliquando verò Patriae et Ecclesiae servandae necessitate pressus, redditum Ecclesiasticorum ad tempus imploravit subsidium, memineritis quæso Achimelech Sacerdotem Summum, cum panes laicos ad manus non haberet, Davide Regi, et pueris ejus dedisse panem Sanctum, quo possent famem sedare, et gladium Goliath, qui in Templo erat Domino consecratus. Unde Servator noster arguit Phariseos, qui discipulos ejus reprehendebant, quòd esurientes cæperint per sata vellere spicas, et manducare. Prudentia ergo in rebus omnibus gerendis opus est, prudentia, ut Christus nos monet, serpentis, qui sicut bene nostis, ut caput seryet illæsum, corpus totum detegit, atque plagis exponit. Verum quid reapse CAROLO nostro

profuisset indefessus pro Ecclesia tuenda, amplianda, et purganda labor, nisi firmasset exemplo? Habebat sane vel ab incunabulis fixum, et alta mente repostum, efficacissimum exhortationis genus esse, ut agebat Plutarchus, id Principem facere, quod ab aliis fieri debet; et quod scilicet in vulgus manant exempla regentum, ita ut quales Principes, tales et cives esse soleant. Noverat quippe ex Ecclesiastico, quod secundum iudicem populi, sic et Minister ejus, et qualis est Rector civitatis, tales et inhabitantes in ea. Idcirco, sum quidem et ego mortalis homo, et *Gnotóusaúton*, repentes, omne prorsus studium adhibuit, ut se, Regnumque suum JESU CHRISTO Regi Regum, et Domino Dominantium subderet; probè ex Isocrate sciens, pessimum omnium esse Regem, qui sibi imperare nescit. Carnem proinde suam laboribus à juventute et sobrietate domuit, in otio

corrumperetur et ingluvie, quia multam malitiam, agebat cum Ecclesiastico, docuit otiositas; cernebatque cum Ovidio *...Ut ignavum corrumpant otia corpus...* Nec ipsum latebat præceptum D. Petri de sobrietate servanda; aut D. Hieronymum hac super re dicentem, non Æthnei ignes, non Vulcania tellus, non Vescus, et Olympus tantis ardoribus æstuant, juveniles medullæ vino plenæ, et dapibus inflammata. Nec immemor unquam extitit Julium Cæsarem sobrietate sua Romanum Imperium è ruinis eripuisse, Augustum integrum sæpè diem sine cibo et potu transigere fuisse solitum, et Monarchiam Assyriorum Sardapalum gulæ monstrum destruxisse. Igitur in CAROLI, imo et nostri omnium laudem concinam. Beata terra... cujus Principes vescuntur in tempore suo ad reficendum, et non ad luxuriam.

Quid de mirabili honestate illius,
 continentia et castitate dicam; cum
 probè sciatis incontinentiæ scelerum
 inexorabilem fuisse vindicem, crimi-
 naque luxuriæ per omne, qua latè
 patet Regnum acriter semper fuisse
 persecutum? Solum cum sola nemo
 vidit unquam, quoniam de ferro in-
 tra se ajebat, rubigo nutritur: mor-
 bos aspides sibilant; et mulier fundit
 concupiscentiæ pestilentiam; in risum
 aliquando dissolvitur: nunc blandi-
 tias exhibet, et quod est venenosius
 super cuncta, psallere delectatur,
 aut cantare, cujus cantu, ut dicit
 Augustinus, tolerabilius est audire
 basiliscum sibilantem. Quid quod
 nulla re facilius reconciliare bene-
 volentiam multitudinis possunt, hi
 qui Reipublicæ præsent, quam ab-
 stinentia et continentia, ut auctor est
 Cicero? Quid de illius miseratione erga
 pupillos et viduas, militum præci-
 pue, qui pro augenda Religione,

communive Patria custodienda, in
 acie fortiter corruerant? Necessitates
 aliorum cum Ambrosio dicere potuit,
 quantum possumus juvamus, inter-
 dum plus quàm possumus. Quid de
 charitate erga egenos et infirmos?
 Ab infantia sane videtur crevisse
 cum illo misericordiam, et Patrem
 revera fuisse pauperum Hispanorum,
 sicut Job orientalium. Illorum indi-
 gentia ajebat, nostra penuria est.
 Quid plura? Læti esse non possu-
 mus, nisi et illos gaudentes commu-
 niter audiamus. Agite nunc Patres,
 ut amor iste, juvante Domino, per-
 severet. Quid rursus justitiam, veri-
 tatem, et clementiam ejus memorem?
 Et nunc Reges intelligite, et eru-
 dimini qui judicatis terram. Ergo ni-
 hil sane magis in votis habebat CA-
 ROLUS, quam præceptum exequi Sa-
 lomonis ad Regem dicentis: miseri-
 cordia et veritas te non deserant.
 Circumda eas gutturi tuo, et scribe

in tabulis cordis tui, et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo, et hominibus..... quia misericordia et veritas custodiunt Regem, et roboratur clementia thronus ejus..... Rex enim qui judicat in veritate pauperes thronus ejus firmabitur in æternum. ; Hanc profecto clementiam quoties erga reos, præcipue Sacerdotes monstravit, quos etsi sceleratissimos quandoque, plecti nunquam capite permisit? Nolite, ajebat, tangere Christos Domini, Dei enim Ministri sunt; relinquite illi vindictam, modò à peccatis et occasione arceantur.

; Quid ejus benevolentiam, comitatem, et curam erga Principem et Infantes commemorem? ; Nonne filii sui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ suæ, et circa illum corona fratrum quasi planatio cedri in monte Libano? Aristhenem quippe præ oculis habebat ajentem; con-

cordiam inter se fratrum, quovis muro fortius esse munimentum. Propterea morti proximus hæredi Principi Infantes commendasse dicitur, ne scilicet oblivisceretur, quod futurus esset Princeps et Rector fratrum suorum, firmamentum gentis, stabilimentum populi. Qua Regia benevolentia vel Ministros ipsos fuit complexus. Acceptus enim debet esse Regi Minister intelligens juxta Salomonis sententiam.

Verum ne plùs justo succrescat Oratio, extremis, dumtaxat labris, et quasi transverso calamo CAROLI nostri erga Dei Religionem, Purissimæque ejusdem Matris devotionem pertingamus. Ergo sedulus salutis suæ cultor in matutinis meditabatur in Domino, et fletum cum pane miscabat frequenter. Enixe Deum in cubiculo precabatur quotidie, et se, suumque Regnum lacrimis commendabat tenerimis. Nemo turbatum vi-

dit, nemo mutatum, nisi Religionis causa, et scelerum. Modestus, humilis, religiosus, devotus ubique apparebat, præsertim cum cibo reficiebatur Eucharistico, ubi verum Deum suum mira animi suavitate agnoscebat, et flexis ubique poplitibus humilis adorabat.

Beatissimam insuper Virginem **MARIAM** maximo prosequatur venerationis affectu, ejusque **CONCEPTIONIS IMMACULATÆ** Misterio incredibili delectabatur, et filiafi teneritate. Propterea hanc sibi, et toti Hispaniarum Imperio amplissimam delegit Patronam. In ejusdem Misterii honorem præclarissimum Ordinem, cujus ipse primus esse voluit, quo Regia Proles et Regni Proceres et Magnates honorifice insignirentur. Officium etiam proprium Immaculatæ Conceptionis Franciscanis eoque indulto Apostolico concessum, **CAROLI** nostri precibus summus Pontifex ad omnes et sin-

gulos Ecclesiasticos Hispaniarum Ditioni subjectos, extendi de præcepto indixit, et quod in publicis Ecclesiæ Litaniis **MATER IMMACULATA** psaleretur sanxit.

Enimvero deficeret me tempus, si quæ in Patriam Litteras, et Ecclesiam beneficia, cum re, tum exemplo, **CAROLUS** noster contulit, vellem omnia in medium proferre. Sat ergo dixisse fuerit, omnibus omnia factum, laboribus, vigiliis, industria, sumptibus, stipatis armorum copiis, honoribus, præmiis, orationibus, pactionibus, clementia, poenis, indulgentia, verbis et exemplis monstrasse, Patriæ, Litterarum, et Sanctuarii, Patrem, Protectorem et Defensorem esse præstantissimum. Dignus, hercle, qui castoreos, quod dicitur, regnasset annos; et cujus memoriam Nec Jovis iræ, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

; Ceterum proli Deum Immortalem!
 Omnia sunt hominum, tenui pendentia
 filo,
 Et subito casu quæ valere ruunt.
 ; O mors! quàm amara est memoria

tuam.
 Princeps sane magnus cecidit hodie in
 Israel; in omnibus plateis, planctus,
 et luctus populorum per compita. Plan-
 gite Sacerdotes ululantes, plangite pu-
 pilli, plangite viduæ, plangite Pá-
 trem vestrum universum Hispanorum
 genus.

Verum ab omni Societate Réipu-
 blicæ tantisper bifacessant lachrimæ,
 suspiria, et gemitus. Duo quippe in
 præsens, non vana, et cassâ spesso-
 labitur: primum, quod etsi mortuus
 sit CAROLUS III., quasi non esset mor-
 tuus; similem enim illi reliquit post
 se CAROLUM IV. REGEM nostrum am-
 plissimum, qui gloriosissimi Patris sui
 vestigia premens, et patriam, et lit-
 teras, et Ecclesiam suffulciet, illiba-

tamque servabit. Neque Deus dere-
 linquet misericordiam suam, et non
 corrumpet, nec delebit opera sua, ne-
 que perdet à stirpe Nepotes Electi
 sui.

Præterea, non sicut unus ex Prin-
 cipibus ignavis mortuus est; nam in-
 star Ezechix fecit quod placuit Deo,
 et fortiter ivit in via Patris sui. . . .
 spiritu magno vidit ultima, et con-
 solatus est lugentes in Sion. Ministri
 Dei altissimi, qui CAROLO morienti
 interesse meruistis! testes mihi sem-
 per eritis integerrimi, quanta humi-
 litate et lachrimis, quanta cordis con-
 tritione et amore, divina pœnitentiæ
 et Eucharistiæ Sacramenta recepit;
 quanta animi elevatione, et invicta
 fortitudine Principes, fratres, et Re-
 giam Prolem fuit consolatus; quanta
 Regii et Paterni amoris teneritate
 PRINCIPI nostro, qui feliciter jam
 regnat, Imperium, Ecclesiam, pau-
 peres, Stirpem commendavit Regiam.

Sic profecto monstravit vel inter singultus ipsos, et ima suspiria mortis, in cujus sinum tranquillo, et sereno vultu se recepit, quasi de gloria retributionis hilarescens, se Hispanorum velle esse Patrem, Protectorem, Magistrum, Scutum, Fautorem, Solatium. Quæ sane omnia si bene perpendantur, infirmam spem nos erigunt, CAROLUM Regem nostrum temporale Imperium, quod à Deo acceperat, quodque ad majorem Dei Omnipotentis gloriam comparaverat, pro æterno tandem Regno commutasse. Timenti enim Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur; et vel ipso fatente Cicerone: Omnibus qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certus est in Cælo, et præfinitus locus, ubi beati ævo sempiterno fruantur.

Nihilo tamen secius cum Deus pater, vel in angelis suis reperiat pra-

vitatem; cum judicium durissimum de iis, qui præsumunt facere statuerit; cum pervigilare debuerit CAROLUS, quasi rationem pro animabus nostris redditurus; cum denique septies in die cadat justus, et nihil coinquinatum in Regnum Cælorum intrare possit, quousque reddatur ultimus quadrans, fortassis suffragia nostra spectat, et enixe precatur. Propterea Nos, qui pro mortuis juxta Pauli oraculum baptizari debemus, quique inimicis etiam, et persecuentibus benefacere à Domino stricte præcipimur, & quomodo perillustri Benefactori, et peramabili Patri hanc denegabimus gratiam contra præceptum Ecclesiastici? Si igitur celebre Mausoleum in ejus memoriam extruere, Mater alma, sicut Artemisia non potes, saltem *bovlov goneis prò pantòs en timais echein*: instate, inquam, orationibus, obsecrationibus, jejuniis, sacrificiis et elemosinis, ut CAROLI Parentis et

Benefactoris nostri anima, et omnium
 fidelium defunctorum per misericor-
 diam DEI REQUIESCANT IN PACE. Amen,
 DIXI.

O. S. C. S. R. E.

*M. Fr. Sebastianus Sanctius
 Sobrino.*

TABLA

de lo contenido en este segundo
 tomo.

Sermon del Santísimo, y del Ro- sario.	fol. 5.
Sermon de S. Antonio de Padua.	26.
Sermon de la Feria IV de la IV semana de Cuaresma.	64.
Oración en la solemne Accion de Gracias por la Paz, y nacimien- to de los Señores Infantes.	91.
Elógió Fúnebre de la Reyna Doña Isabel la Católica.	138.
Oración Fúnebre en las Honras del Ilustrísimo Señor D. Anto- nio Jorge y Galban, arzobispo de Granada.	163.
Oración Fúnebre en las solemnes	

Exéquias del Señor Rey Don	
Cárlos III.	189.
Sermon de S. Antonio Abad.	220.
Oratio Funebris pro obitu Caro-	
li III., habita ad Imperialem	
Universitatem Granatensem.	250.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
CAPILLA ALFONSO BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Roll 67 MICROFILMADO 18/5/83



